

Datur concessu omnium huic aliquis ludus atati, & ipsa natura profundit adolescentie cupiditates, quae, si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi solent.

Et in Oratione pro Archia, cum laudandum cum suscepisset, revocat Hypothesim ad Thesim; & humanitatis studia artesque liberales laudat impensius à num. 19. ad 21. Sit igitur sanctum apud vos homines humanissimos, hoc Poeta nomen, quod nulla unquam barbaria violavit, Saxa & solitudines voce respondent: bestiae saepe immanes cantu fleuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii suum esse civem dicunt, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei verò suum esse confirmant. . . . Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui & voluntate & legibus noster est, repudiabimus?

Ita, patricidii accusatus Roscius Amer. sic defenditur à Cicerone, ut plurima praemittat de gravitate illius sceleris, & ab eodem deinde reum absolvat & eximat. à num. 62. ad 72.

Prodest imprimis hoc argumenti genus, quando ratio aliqua difficilius refellenda, aut Oratori res est cum adversario majoris cujusdam auctoritatis, cui obrectare palam non audeat. Hoc praestat egregie Tullius in Oratione pro Muræna, ubi nactus adversarium Catonem Philosophum Stoicum, virum magni ponderis, quem probitas sua atque auctoritas tegebant, rem ita perficit, ut omisso veluti Catone, Stoicam Philosophiam, quam ille sectabatur, vituperet audacius atque repre-

hendat. num. 61. Fuit quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum amuli Stoici nominantur. Hujus sententiae sunt gravissima & praecipua ejusmodi. Sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum & levem: viri non esse, neque exorari neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, Reges. Nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria; omne delictum scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui Gallum Galinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocavit; sapientem nihil opinari, nullius rei penitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Hac homo ingeniosissimus Marcus Cato auctoribus eruditissimis inductus arripuit, neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi, &c.

Hanc deinde doctrinam exagitat insigniter more suo consequentibus numeris.

Quid est Species?

R. Est res aliqua particularis, quae sub Genere, sive sub Universalis, ut loquuntur Philosophi, continetur.

Quomodo probares à Specie, laudandam esse virtutem?

R. Hoc modo. Laudanda est pietas, sed pietas est virtus, ergo virtus laudanda est.

## EXERCITATIO.

## ORATIO.

Locus à Genere.

Adhortatio ad eos, qui liberales Artes exercent, ut Ludovici Magni memoriam studeant posteritati commendare.

## SYNOPSIS.

Hoc Argumentum Orator adhibebit per titum à Genere. Si quorum hominum immortalis memoria esse debet, eorum maxime, qui multiplici virtutum gloria excelluerunt, sed aliquorum debet esse immortalis memoria; Ergo, &c.

Omissa Propositione, quae manifesta est, veniet ad probandam Assumptionem, scilicet esse aliquos homines, quorum memoria debet esse immortalis: Hoc ipsum periodice effere Exordii loco.

Deinde Rationes afferet Assumptionis. Primam eliciet ab eo desiderio, quod viri aliqua laude praestantes sui relinquunt, dum excedunt è vivis.

Secundam à studio eorum hominum, qui illustriorum virorum vias scriptis suis commendaverunt, aut eorum, qui ipsorum imagines vel in marmore vel in aere inciderunt.

Tertiam, ab universo populo omnium consensu, apud quos existant aliqua eorum monumenta, qui aliqua laude florent.

Quartam ab ipsa tam liberalium, quam ceterarum Artium natura, quae copiosissimum sine inventae videntur, ut virorum illustrium memoriae propagandae servirent.

Tertio per Anacephaloesim resumet allatas supra rationes, ex quibus concluderis debere immortalitatem, qui aliqua laude praecelluerunt. Mox à Thesi descendet ad Hypothesim; ut probet debere eandem Ludovico Magni, qui non aliquo, sed omni virtutum genere excellit.

Quarto id ipsum demonstrabit per Enumerationem virtutum illarum, quibus Ludovicus praeditus est, & praestat illis Heroibus, quos Fabula commendavit.

Concludet dicendo, nullam esse Artem, quae ab ejus laudibus conticescere debeat, & per Apostrophen ad singulas, iisdemque cuique partes praescribet.

Est hoc singulare quorundam hominum ac proprium veluti fatum, ut peculiari aliquo Superum munere terris concessi, & ceterorum exemplo nati esse videantur. Verum quo lætius excipi solent illi, dum nascuntur, eo gravius, dum rapiuntur, desiderium sui relinquunt; sic, ut expleto, quantum homini jam permittitur, longioris vitae curriculo, nemo vel praematura morte raptos non doleat, vel impertitam ipsis fuisse, praeter conditionem mortalium, immortalitatem non velit.

Hinc verò exarsit eruditorum hominum diligentia, ut, quos suspexissent olim populi & amavissent, eorum mores ac virtutes scriptis in suis fideliter expressas relinquerent. Hinc stimulari se sensit Pictorum solertia, ut, dum nativis adumbrata coloribus illustrium virorum ora redderent, eorundem absentiam ac desiderium quodammodo consolarentur. Hinc & novos sumpsit animos Sculptorum labor atque dexteras in incidendis in marmore vel in aere Heroum suorum egregiis facinoribus, ut, dum res ab illis tam bello quam pace praecclare gestas posterorum oculis subjicerent, faverent perpetuo, quam illi concitabant olim admirationem sui, neque eorum memoriam senescere unquam paterentur.

Scilicet illud est propagandae apud posteros illustrium virorum gloriae desiderium ejusmodi, ut non injectum extrinsecis, sed innatum nobis videri possit; adeo ut nemo nisi iniquius ferat illorum obliterari memoriam, qui se, dum viverent, immortalitate dignos praestiterunt. Cedo enim nationem hominum aliquam, tam incultam, tam agrestem, tam

barbaram, apud quam multa omnis generis monumenta non existunt, quibus res à majoribus suis aliqua cum laude gestæ commendantur.

Quid porro omnes literæ, quid disciplinæ liberales, quid cæteræ inferioris nominis artes volunt, aut loquuntur? Quem demum ob finem inventæ & tam diligenter excultæ, nisi ut magnorum virorum gloriæ famularentur? Quid eloquentia admirabilius? quid Poesi dulcius? quid Pictura vel Sculptura gratius? quæ vel inventæ nusquam, vel in ortu ipso cœpissent obsolescere, nisi in representandis suo quæque modo clarissimorum hominum virtutibus elaborassent. O nullis satis prædicandum laudibus parandæ illustribus viris gloriæ desiderium, absque quo non careremus modò tam egregiis omnium Artium monumentis, sed ne ipsarum quidem nomen haberemus.

Quòd si naturæ vox, eruditorum consuetudo, unanimis populorum consensus, Artium omnium indoles & industria immortalitatem iis vindicant, qui aliqua virtutis laude, dum viverent, floruerunt; quanto potiori jure, qui Artes cujuscumque generis exercent, de comparanda Ludovico Magno nominis immortalitate cogitabunt; qui non aliqua virtute, sed universo virtutum agmine circumseptus, dotes, quæ cæteros Principes commendavere, singulas in se uno complectitur.

Sed que pars oratio tot prædicandis virtutibus esse possit? aut quid inter tam breves dicendi angustias vel delibare ex illis quidpiam confidamus. Nam dotes animi aggredimur; an corporis? quàm ampla surgit Oratori, quàm magnifica de utroque prædicandi seges! Age enim quanta frontis dignitas! quàm vivida lux oculorum! quàm decens oris compo-

sitio! quàm nova totius vultus species atque amabilitas: quæ pulveris patiens atque solis, nec ipsis bellorum laboribus deteratur! Jam in incessu quanta gravitas, in corpore quàm justa concinnaque conformatio membrorum, in homine toto quàm reverenda majestas! Sic ut inter Aulicos suos, si quando permixtus inveniat, nemini, qui ipsum nunquam viderit, liceat illum ignorare, aut Regem inquirere.

Quòd si tam eximias exhibet dotes corporis, quanto præstantiores animi virtutes præ se fert! In eo quid non regium, quid non admirabile, quid non memoria dignissimum? Est aliquis, qui de ingenii præstantia, facilitate, perspicacia certare cum ipso possit; quem sui, quem exteri gravissimis de rebus dicentem & ex tempore respondentem toties obstupere? cujus ex ore nulla vox unquam effluxit, quæ longioris cujusdam & altissimæ meditationis partus videri non posset? Quis eo vel in providendis rebus sagacior, vel in administrandis sapientior, qui æquabilem ac constantem longissimæ regni fortunam prudentiæ imprimis suæ acceptam debet? qui regnare per se solus vel junior didicit? qui ministros ad pompam magis & magnificentiam, quàm ad necessitatem habet? Quis porro cupidior juris & amantior æquitatis; qui vel propriis in rebus sua unius sententia sæpe causa cecidit? Unde verò quemquam nactus eris, qui tanta cum potestate tantam moderationem conciliavit? Credent Posteris sic imperasse motibus animi Ludovicum, non modò nihil ut unquam iratus peccaverit, sed nec protulerit quidpiam, quod vel offensionem vel indignationem saperet? Denique mitto dicere, quàm sit liberalis & magnificus, quàm bonus domesticis, quàm amabilis

cum.

cunctis & acceptus. Parco memorare magnitudinem animi in periculis, in adversis constantiam, modestiam in prosperis. Prætereo tenerrimam pietatem in Deum, studium Religionis acerrimum, incredibilem vel inter prosperos armorum eventus pacis amorem.

Evolvat, per me licet, universus orbis Annales suos; scrutetur prisca monumenta vetus antiquitas; fingant sibi vel ipsæ Fabulæ Heroem ad arbitrium, quem cum Ludovico Magno collatum velint.

Regem ergo tam multis ornatum virtutibus quis non extollar? Quæ facultas tandem ab ejus conticescat laudibus? Quis nomen ipsius toti posteritati consecrandum ultrò non suscipiat?

Hunc Pictura, qualis est, talem futuris ætatibus representet, & vividis, quantum potest, coloribus egregiam oris speciem, dignam Heroe staturam & spirantem in toto corpore Majestatem studeat imitari. Erigat Triumphales arcus Sculptura, quos nulla temporum ac tempestatum injuria diruat; incidat in ære atque marmore relatas ab eo victorias, expugnatas urbes, occupatas Provincias, fusos exercitus, & conjuratas totius Europæ vires fractas toties ac debilitatas. Quod exequi Pictura, nec præstare Sculptura possit, singulares ejus animi dotes ac virtutes Poesis & Eloquentia commendent. Liberalem illum, magnificentum, fortem, moderatum, clementem, justum, affabilem, pium, Superis perinde atque hominibus amabilem loquantur ac prædicent. Addat se reliquis Artibus Historia; & res ab eo gestas, voces etiam singulas excipiat, & sine fuce vel cerussa veritatis unius interpretis monumentis publicis consecret.

Denique ita conspirent Artes uni-  
*Le Jay, Tom. I.*

versæ ad consecrandum Ludovici Magni nomen, ut, quem jam universus admiratur orbis, eundem ventura retrò sæcula suspiciant ac venerentur.

### ALIA EXERCITATIO.

*Defenditur Jonathas, quòd contraparis Edictum paululum mellis gustasset.*

### SYNOPSIS.

Argumentum Defensionis Orator petet à Genere, quod sic informabit. Si quando lex mollem ac benignam Interpretationem pati potest, maxime eorum gratia, qui nihil de lege audierunt, sed lex benignam Interpretationem pati potest aliquando, ergo, &c.

Omissa Propositione veniet ad Assumptionem, nimirum lex mollem & benignam Interpretationem aliquando patitur: idque dilatabit in Periodum qua Exordium & Propositio continebuntur.

Rationem afferet, quia nullius unquam Legislatoris ea mens fuit, ut suas leges nulla molliri Interpretatione veller.

Id verò probabit; quia neque sapientiæ neque æquitatis ipsorum fuisset, ut nemo unquam à lege lata eximeretur.

Non fuisset 1. ipsorum sapientiæ, quia prævidere illi non potuerunt varia locorum ac temporum adjuncta, in quibus lata ab ipsis leges observari non possent.

2. Non fuisset æquitatis, si eos violatæ legis reos haberi voluissent, qui eas non potuissent observare.

Denique relicta Thesi veniet ad Hypothesim; per quam concludet Saullem admonendo, non esse plectendum Jonatham, nisi aut parum prudens, aut parum æquus videri velit; qui violatam legem in eo puniat, qui propter ignorantiam eandem observare non potuerit.

### ORATIO.

Etsi non is ego sum, Princeps sapientissime, qui vel commissam à supremo Numine legum conditoribus potentiam atque auctoritatem elevandam putem, vel populorum fœcundæ indulgens plus æquo excusare legum

gum infractores velim; tamen nihil dubitem palam profiteri vix esse posse legem ullam, quæ mollem interdum benignamque interpretationem non admittat.

Nam quis est, aut fuit unquam tam retinens juris sui, aut debiti sibi obsequii tam iniquus exactor; ut, quas sancire leges meditaretur, eas sic valere semper partem in omnem vellet, ut nullis incidentium rerum casibus aut infirmari, aut etiam penitus abrogari pateretur. Unum te mihi rei hujusce testem appellare liceat, Rex sapientissime; hunc tu Principem virum vel à sapientia bellicè comparatum, vel ab æquitate factis instructum æstimares, qui in sanciendo legibus, nulla locorum aut temporum expensa ratione, nullo ætatum conditionumque delectu habitato, ita severè pronunciaret in omnes, ut neminem ab imperata lege immunem esse posse fineret, & in quemcumque demum, qui legem non implevisset, animadvertendum duriter arbitraretur.

Scilicet extitit aliquando, aut consequentibus retro temporibus existet Legislator aliquis tam perspicax, & futuri post se temporis scrutator tam accuratus, ut præviderit, nihil contingere unquam posse, quod latus à se leges infringeret, nihil quod eisdem observandis moram afferret, nihil quod, ne minimè etiam implerentur identidem; prohiberet.

Quod si Legislator nullus prævidere potuit, quæcumque intervenire tam sæpe implendæ legis impedimenta; imò si penitus sensit ac vidit, vel cum suas omnibus leges diceret, non posse illas quibusvis locorum ac temporum adjunctis ab omnibus observari, an foret ille arbitrio suo justissimus, qui insolita quadam præventus severitatis laude, nullam

admitti vellet sancitæ legis interpretationem, sed quamlibet omisissæ legis offensam eodem pariter modo multandam judicaret.

Quamobrem vide, amabo, Rex sapientissime, idemque studiosissime cultor æquitatis, qua demum vel sapientie vel æquitatis laude plectendum Jonatham tuum censeas, ad quem nulla pars imperatæ legis pertinet? Tu ne eum teneri lege tua velis, cui, legem à te latam fuisse cum ignoraret, nulla illius implendæ facultas suppetebat. Tunc violatam ab eo legem reprehendas eundemque putes morte puniendum, qui legem, etiam cum voluisset, observare non poterat? Memineris potiùs solitæ prudentiæ tuæ atque æquitatis; & quam in neminem de populo severitatem adhibere sustineres, cave filium in tuum putes esse exercendam.

## C A P U T VII.

## Locus à Simili.

Quid est Similitudo?

R. Est duarum vel plurium rerum in aliqua ratione convenientia; v. g. Consul & Gubernator navis sunt duo, quæ in ratione gubernandi conveniunt. Ut enim hic navim, sic ille Remp. regit. Hoc porro differunt similitudo & comparatio, quod similitudo versetur circa rerum qualitates, ut vocant, comparatio verò circa quantitatem. Deum enim comparamus, aut plus, aut minus aut par inesse alicui dicimus.

Ita Cicero 3. Philip. n. 9. *Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia fecit Antonius?* Quod nihil aliud significat, nisi plura fecit Antonius, quam Tarquinius?

In Similitudine verò attenditur

Hypothesis.

tantum quale sit illud de quo agitur. Ita Cicero Philip. 4. num. ii. *Faciam igitur ut Imperatores instituta acie solent; quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur. Sic ego vos arduos & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Ubi nulla sit parvis, majoris, aut minoris mentio.*

Habes illustria Similitudinis exempla apud Ciceronem pro Rosc. Amer. num. 56. ubi Accusatores comparat cum Anseribus & Canibus. *Anseribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint; at fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint; & quia id est suspiciosum, tamesi bestia sunt, tamen in eam partem potiùs peccant, qua est cautior. Quod si luce quoque Canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est Accusatorum ratio. Alii vestrum Anseres sunt, qui tantummodo clamant; nocere non possunt; alii Canes, qui latrare & mordere possunt. Cibaria vobis præberi videmus. Vos autem debetis maximè impetum in eos facere qui merentur, &c.*

Ibid. n. 75. *Ut non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur.*

Ibid. numer. 131. excusat Syllam quòd aliqua animadvertere non potuisset in magna rerum, quas curabat, mole, ab exemplo Jovis, cui non imputantur imbres & tempestates, quæ tamen detrimentum afferunt, quia isthæc potiùs vi & magnitudine rerum fiunt, quam divino consilio. Et sic concludit; *Nisi hoc mirum est, quod vis divina as-*

*sequi non possit, si mens humana ad præ non sit. Egregius est imprimis hic locus.*

Ibid. n. 151.

Sic & pro Comædo num. 17. *Ut ignis in aquam coniectus continuo restringitur & refrigeratur; sic refervens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum statim concidit & extinguitur.*

Et Ver. 7. n. 144. comparat ejus avaritiam cum illis hominibus, qui Poetarum testimonio sinus maris & promontoria occupabant, ut inde in transeuntes naves impetum facerent.

Pro Muræna num. 35. incertas & obscuras populi voluntates comparat cum procellis & tempestatibus, quæ in mari oriuntur.

Pro Cluentio n. 138. *Ut mare quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitur & perturbatur; sic & Populus Rom. sua sponte placatus hominum seditiosorum vocibus & violentissimis tempestatibus concitatur.*

Post reditum ad Quirites n. 4. fatetur Cicero recepta bona sibi tanto gratiora videri, quanto sanitas post gravem morbum jucundior est.

Quotuplex est Similitudo?

R. Dividitur plerumque in Parabolam, Inductionem & Exemplum.

Quid est Parabola?

R. Est rerum alioqui diversarum in una re vel in pluribus convenientia: sive est narratio verisimilis ad mores informandos idonea propter eam, quam habet cum re, quam persuadere Orator nititur, convenientiam. Huc Apologi & Fabulæ referuntur; quæ sunt narrationes penitus fictæ, quæ moribus instituendis conducunt.

Quis est usus Parabola?

R. Frequentissimus ille est tam apud sacros, quam apud profanos Oratores præsertim in Exordiis. Ha-

bes illustrissima Parabola exempla in sacris Literis praefertim in novo Testamento.

Apud Ciceronem Parabola locum habet, quod de Anseribus & Canibus narratur pro Roscio Amerino n. 56. supra laudato ac descripto.

Item 1. Catil. num. 31. *Ut saepe homines agrum morbo gravi, cum est febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque affliguntur; sic hic morbus, qui est in Rep. relevatus istius poena, vehementius reliquis vivis ingravescit.*

Et in Vat. n. 4. *Venisti iratus nobis, quod ego, simul ac te aspexi, prius quam loqui coepisti, cum ante Gellius, nutricula seditionum omnium diceret, sensi atque providi: repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.*

Et Lib. 6. Epist. Famil. Epist. 7. *Quemadmodum scalarum gradus, si alios tollas, alios incidas, nonnullos male harentes relinquant; ruinae periculum struas, non ascensum pares; sic tot malis tum victum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus, aut probabile potest afferre?*

Quid est Inductio?

R. Ut hoc loco sumitur, est coervatio multarum rerum similium ad aliquid concludendum. Hoc disputationis genus erat admodum familiare Socrati, qui per ejusmodi inductiones oculis subiciebat, quae probanda susceperat.

Habes exemplum Inductionis pro Cornel. Balbo n. 51. *Hic tu Cnei Pompei beneficium seu potius iudicium & factum infirmare conaris, qui fecit quod C. Marius fecisse audierat; fecit quod P. Crassum, quod C. Syllam, quod Q. Metellum, quod denique do-*

*mesticum auctorem patrem suum facere viderat. Neque vero in uno Cornelio id fecit, nam & Gaditanum Hasdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obvios, & quosdam Uticenses & Saguntinos fabros civitate donavit.*

Est egregia illa apud Tertullianum ad probandam corporum resurrectionem Inductio. *Lux quotidie imperfecta resplendet, & tenebra pari vice decedendo succedunt; hydra defuncta virescunt: tempora ubi finiuntur incipiunt, fructus consumuntur & redeunt. Certè semina non nisi corrupta & dissoluta fecundius surgunt. Omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.*

Quid est Exemplum?

R. Est probatio alicujus rei dicto vel facto alterius confirmata, quae praestantissima est Similitudinis ratio, & magnae auctoritatis ad persuadendum.

Habes exempla illius Similitudinis apud Ciceronem pro Roscio Amer. num. 50. *Ne tu Eruci accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accerserentur, qui Consules fierent. Etenim qui praesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Attium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule maiores nostri longe aliter & de illo & de ceteris talibus viris existimabant, &c.*

Ibid. n. 66. probat Orestis exemplo eos exagitari furis, qui parricidium admiserunt.

Et Oratione pro Plancio probat Exemplorum collectione nihil esse quod Laterensis doleat, quod in petitione Aedilitatis repulsam passus fuisset num. 51. *Queris etiam Laterensis, quid imaginibus tuis, quid*

*ornatissimo atque optimo viro patri tuo respondeas mortuo. Noli ista menditari; atque illud cave potius, ne tua ista querela dolorque nimis ab illis sapientissimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus Appium Claudium nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo & clarissimo civis C. Claudio Aedilem non esse factum, & eundem sine repulsa factum esse Consulem. Vidit hominem tibi maxime conjunctum egregium virum L. Volcarium, vidit M. Pisonem in ista Aedilitate offensus accepta summos à Populo Rom. honores esse adeptos. Avus vero tuus si P. Nasica tibi Aedilitatem predicaret repulsam, quo civis neminem ego statuo in hac Rep. fortiolem; & C. Marii, qui duabus Aedilitatis acceptis repulsis septies Consul factus est; & Luc. Caesaris, Cn. Octavii, M. Tullii, quos omnes scimus Aedilitate praeteritos Consules esse factos.*

Hunc etiam refer laudatum modò locum pro Balbo n. 51.

Praeterea 2. Ver. numer. 51. pro Sext. num. 48. & num. 101. pro Caelio num. 49.

Quomodo ornanda est Similitudo?

R. Primò per Comparisonem; ut 1. in Verrem num. 48. *Ut in Aetoribus Graecis fieri videmus, saepe illam, qui est secundarum, aut retiarum partium, cum possit aliquantò clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille Princeps, quam maxime excellat: sic faciet Allienus, tibi serviet, tibi lenocinabitur, minus aliquantò contendet, quam potest.*

Et Ver. 6. num. 21. *Pecisti uti praedones solent, qui cum communes hostes sint omnium, tamen aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam praeda quos*

*augeant, & eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quò saepe adendum sit navibus, nonnunquam etiam necessario.*

Huc refer Comparisonem Accusatorum cum Anseribus pro Roscio n. 56. Comparisonem Syllae cum Jove ibid. n. 131.

Secundò ornatur Similitudo per Fictionem, ut Orat. pro Sextio n. 45. *Etenim si mihi in aliqua nave cum meis amicis, naviganti hoc accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent; si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quam me tradere hostibus mallet; fecissem me ipse potius in profundum, ut ceteros conservarem, quam illos me tam cupidus non modò ad certam mortem, sed in magnum vita discrimen adducerem, &c. .... Per illam Fictionem ostendit Cicero quam prudenter cessisset ex urbe invitis ac repugnantibus amicis, ne ipsos in magna Reip. perturbatione maximis periculis exponeret.*

Et Orat. in Cat. 4. n. 12. *Etenim quero, si quis pater familias, liberis suis à servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo quam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimas & crudelissimas videatur? Mihi verò importunus ac ferreus, quò non dolorem suum ac cruciatum dolore nocentis ac cruciatu tenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscujusque nostrum domos, & hoc universum Reip. domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis, in cinere deflagrati imperii collocarent; si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; si remissiores esse voluerimus,*

*Summe nobis crudelitatis in patria civiumque pernicie fama subeunda est.*

Habes alia Fictionis exempla 1. Verrina num. 20. 6. Ver. num. 78. pro Cæcinnâ num. 1. num. 35. pro Lege Manilia num. 50. pro Sextio num. 83.

Tertio exornari Similitudo potest per Hypotiposim. Uti fecit Cicero Philip. ii. n. 7. ubi Antonium cum Dolabella comparans, utriusque favitiam subicit in morte Trebonii. *Ponite igitur ante oculos, P. C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos animos nostros necessariam: nocturnum impetum in urbem Asia clarissimam, irruptionem armorum in Trebonii domum, cum miser ille prius latronum gladios videret, quam, que res esset, audisset: furentem introitum Dolabella, vocem impuram atque os illud infame, vincla, verbera, equuleum, carnicem tortoremque Samarium, &c.*

Ex iis quæ dicta sunt de Similitudine, facile est intelligere, quid dissimilitudo sit.

Quid est Dissimilitudo?

R. Est locus, per quem ex re dissimili colligitur aliquid dissimile.

Quomodo probares à Dissimilitudine humaniter hospites esse excipiendos?

R. Hoc modo. Barbari se suos in hospites gerunt crudeliter; igitur nos decet in eosdem humanos esse.

Quomodo amplificandus hic Locus?

R. Eadem ferme ratione, qua Locus à Similitudine: nimirum per excogitatam ingeniosè aliquam Parabolam; per Inductionem multa dissimilia colligendo: denique per exemplum seu collectionem Exemplorum.

Quomodo ornandus hic Locus?

R. Qua ratione ornatur Similitudo, nempe per Comparisonem seu potius Antitheses, per Fictionem, Hypotiposim, &c.

Habes exempla multa Dissimilitudinis apud Ciceronem.

Pro Muræna n. 22. ubi Jurisconsultum Sulpicium cum Imperatore Muræna comparat per dissimilitudinem studiorum. *Sed ut hoc omnino ad studiorum atque artium contentionem revertamur. Qui potest dubitari, quin ad Consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris quam Juris Civilis gloria? Vigiliis tu de nocte ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccina cantus excusat. Tu actionem instituis; ille aciem instruit. Tu cavēs, ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiuntur. Ille tenet & scit, ut hostium copia, tu ut aqua pluvie arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ibidem n. 83. probat debere Judices dissimile facere iudicium de Muræna, ab eo quod Catilina facturus fuisset, si penes ipsum fuisset de Muræna iudicare, ex dissimili iudicium & Catilinæ in Remp. studio. *Si L. Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, condemnaret Luc. Murænam, si interficere posset, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Respublice, ut minuatur contra suum furorem Imperatorum copia, ut major facultas Tribunis plebis detur, depulso adversario contentione ac discordia concitanda. Idem ne igitur delecti amplissimis ex Ordinibus honestissimi atque sapientissimi viri iudicabunt, quod ille importunissimus gladiator, hostis Reip. iudicaret.*

Ibidem num. 6. probat ex dissimilibus Catilinæ & Muræna in Rempubl. studiis, dissimilem suam cum utroque agendi rationem.

Verrina 6. n. 77. confert per Dissimilitudinem

## EXERCITATIO.

*In morosam Stoicorum hominum severitatem, qui omnem etiam honestam animi oblectationem respuunt.*

Locus à Similitudine.

## SYNOPSIS.

Exord. **D**icet Orator, Stoicos ut multis rebus, sic in animorum cognitione peregrinos atque hospites extitisse.

Propositionem efferet per Interrogationem. Nam quid ineptum magis, quam rejicere omnem animi oblectationem?

Rationem afferet, quia ea est animi natura; ut assidua contentione frangatur.

Confirmationem petet à Similitudine & 1. quidem à Parabola. Narrabit, uti Villicus terram fertilissimam natura sua, dum eandem assidue nimis fodit & excolit, fecerit sterilem. Ornabit Parabolam Hypotiposi, qua describet hominem in arando, in fodiendo, in serendo assiduum. Quo demum exitu? &c. Addet hoc ipsum evenire in animis etiam natis ad ferendos studiorum fructus egregios, si nimium fatigentur.

2. Idem probabit, per Inductionem rerum tam naturalium quam arte factarum, quæ cessationem à labore postulant. Agri etiam feracissimi tertio quoque anno sinuntur requiescere. Arcus si continuo tendatur, frangitur: res quælibet usu frequentiore conteritur.

3. Exemplorum collectione, puta, Lepidi, Catulli, Scipionis, Lælii, qui sapientissimi habiti ab omnibus relaxabant interdum animum, soliti per Brutorum hortos discincti ludere. B. Joannis Evangelistæ, quem in solitudine sua ferunt cum avicula colluisse, supremi etiam rerum omnium Conditoris, qui post sex dierum laborem, septimo tandem conquievit.

Concludet explodendo Stoicæ severitatis æmulatores.

## ORATIO.

Cum multis in rebus hospites ac peregrini haberi merito possunt illi Philosophi, qui severiorem quandam

similitudinem latrocinia Verris, ejus sacrilegia cum Majorum pietate in Superos & religione. *Videte, quanta religione fuerit apud Segestanos Diana simulacrum. Scitote neminem neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere, Barbaros quosdam Lilybeo scitote advocatos esse operarios; hi denique illud, ignari totius negotii ac religionis, mercede accepta sustulerunt. Quod cum ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum esse arbitrarentur quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta, victoriam Populi Romani reditu suo nunciasset. Quam dissimilis hic dies illi temporis videbatur? Tum Imperator Populi Romani vir clarissimus Deos patrios reportabat Segestanis ex urbe hostium recuperatos. Nunc ex urbe sociorum Prætor ejusdem Populi turpissimus atque impurissimus eosdem illos Deos nefario scelere auferbat.*

Item pro Sextio n. 37. & 38. dissimiles sui, Metellique discessus rationes afferet.

Sunt hæc alia Dissimilitudinis exempla pro Quinctio n. 1. & 2. pro Rosc. Amer. n. 72. 88. pro Comædo n. 7. 20. 6. Verrina n. 115. pro Cluentio n. 128. & 129. pro Dom. n. 130. in Vatinius n. 9. in Pisonem n. 31. ubi Pisonis abitum & absentiam cum suo habitu redituque comparat. Item n. 37. & n. 51. ubi reditum suum cum reditu Pisonis per dissimilitudinem comparat. Pro Plancio n. 68. pro Sylla n. 8. Philip. 10. n. 20. pro Rab. Perd. num. 15.

dam virtutis formam æmulati, Stoici vulgò nuncupantur; tum certè nunquam errasse gravius, aut turpius hallucinati fuisse visi sunt, quàm cum certas regendis ac moderandis hominum animis præscribere leges voluere.

Agite enimverò, quid ineptum magis, aut ab ipsa animorum natura magis alienum videri possit, quàm eosdem, quod factitabant illi pertinaciter, sic exercere rebus feriis ac gravibus, ut nullam ipsis, ne honestam quidem relaxationem permittas?

Datur enim consensu omnium aliqua ætati cuilibet animi relaxatio, quæ si moderatè adhibeatur, neque præscriptos honestatis limites excedat, non modò non rejicienda, sed utilis etiam ac necessaria videatur. Nam quis tam rudis & imperitus, qui nesciat, eam esse animorum indolem, ut contentione assidua debilitentur plurimum atque etiam infringantur, nedum confirmantur aut invalescant?

Erat Agricola cuiquam uberrimum, si quod fuit in tota vicinia, solum. Illic veniebant feliciter segetes, uvæ, poma, & suavissima cujuscumque generis fructuum copia succrescebat. Hic lucri avidus inter paucos, & ubertatem terræ expertus non semel, minimè cessabat agrum excolere, & nunc arando, modò fodiendo, jam ferendo fatigare. Nullam partem anni à labore vacuam abire patiebatur; nullus etiam inter multos dabatur annus, quo nativo exhausta succo & molli decocta pinguedine terra tantisper conquiesceret, & amissas frequentiore partu vires repararet. Quid demum putatis evenisse? vel quos assidua cultura fructus tulisse Agricolam arbitramini? An ferax ille natura sua & pinguis ager factus est perenni cultu

Similitudo per Parabolam.

fertilior? an uberiores singulos in annos fruges protulit? an herum ditavit aut locupletavit suum? Nihil minus: hæc una fuit tam inepti laboris merces, hoc stultæ aviditatis præmium tulit, ut agrum arefaceret, excoqueret, labefactaret. Quid aliud consequimini, amabo vos, infani, quotquot estis animorum cultores? quem habet finem illa, quam adhibetis perpetuò, exercitatio gravis ac seriosa? quo demum exitu felices illi, & ferendis quibuscumque studiorum fructibus pares animi pertractantur à vobis; nisi ut ferius, ocyùs hebescant & obtundantur?

Ignoratis igitur quod ipsa nostris quotidie oculis natura subjicit? Attendite enimverò, quam uberrimi etiam & soli pinguioris agri culturam patiantur. An non, nisi quiescere illos identidem siveris, arefcant continuò, & sua dominum expectatione destituant? Quid in artefactis peritissimus rerum magister usus atque experientia commonent? Arcus si tenditur semper, illum frangi videas, aut certè multum enervari. Duriora marmora crebriore frictu minuuntur; res quælibet assiduo nimis usu teritur ac deperit. Et hanc putatis esse folius animi conditionem, ut nullis debilitetur exercitationibus, ut perenni contentioni resistat, ut repetitis quantumlibet laboribus succumbat nunquam aut vincatur.

Tamen haud ita sentiebant viri ætatum omnium iudicio sapientissimi: alium sibi à vestra disciplina morem ineundum putaverunt; non tam rigidum virtutis ipsius cultum profitendum censuere. Non Crassi, non Lepidi, non Catuli, non Scipiones, non Lælii, quos honesta interdum oblectatione relaxasse animum legimus, imò, si quid Tullio creditur, discinctos luisse non-

Similitudo per Inductionem.

Similitudo per Collectionem Exemplorum.

## ALIA EXERCITATIO.

Labor improbus omnia vincit.

*Adhortatio ad Juventutem studiosam, ut ad capeffendas liberales Artes diligenter incumbat.*

## S Y N O P S I S.

*Exord.* Commendabit Orator Divinam Providentiam, quæ varia hujus vitæ bona mortalium laboribus redimenda proposuit.

Rationem afferet; quia alioquin molli in otio consenscerent, si nullo suo labore votorum compotes fierent.

*Propositiõ.* Dicit hoc saltem habere nos solatium, quòd nihil non assequi labore nostro liceat.

Confirmationis prima pars petetur à Parabola adolescentis cujusdam, cui pater moriens agrum reliquerat hæreditatis loco, sed eundem incultum Describet per Hypotiposim & Etopejam, ut grandi labore deterritus Adolefcens oriri mallet, quàm agrum exercere: donec adfuit consultius quidam, qui ita divisit agrum breves in portiunculas, ut singulas singulis diebus arandas adolescenti proponeret: quod ille dum exequitur ultro, totam brevi excultum agrum vidit. Mox conversa ad studiosam juventutem oratione, eam hortabitur, ne deterratur rerum discendarum multitudine, sed in singula, quæ proponuntur, tantum incumbat cum ea expectatione, quæ laboris assidui mercedem adpromittat.

Secunda pars ducetur ab Inductione rerum multarum, quæ labore comparantur. Agri steriles & infructuosi, dum exercentur, fertiles fiunt; crassa & impolita marmora in statuas egregias assurgunt, lapilli rudes & informes pretiosas in gemmas mutantur.

Tertia pars petetur ab Exemplis Demosthenis, qui linguæ difficultatem labore vicit; Ciceronis qui homo plebeius ad summum laudis ac dignitatis apicem pervenit; Socratis qui nonagenarius didicit ludere fidibus.

Concludet nemini de re qualibet esse desperandum, si parcere labori noluerit.

## O R A T I O.

Cum multis in rebus incredibilis quædam divinæ Providentiæ sapientia virtusque singularis elucet; tum certè

nunquam, & posita ad tempus, quæ Magistratus decet, gravitate, pæne dixerim puerorum instar per Brutorum hortos discursasse.

At tu ne etiam, severa si quis es ejusmodi doctrina æmulator, tu ne id reprehendes in nobis, quod vel ab ipso B. Joanne novimus factitatum? Tu rejicies & amandabis procul à vita oblectamentum omne, quod nec ipse, austerissimæ sanctitatis exemplar, amantissimus Christi Discipulus abhorruit? Tu acerbius illum increpabis, quòd in media rerum æternarum contemplatione cicurem foveret aviculam, & cum ea identidem colluderet.

Aude etiam & ipsum supremum rerum omnium artificem aut inertia aut languidioris otii Deum accusare. Cessatorem urge, & pigritantem increpa, quòd sex in orbe fabricando dies cum posuisset, septimo tandem ab omni opere conquieverit. O temeritatem inauditam! ò imprudentiam singularem! ò ridiculam & omnium sibilo explodendam sapientiam!

Desinant ergo factum facere inrempestivi, si qui sunt, obrectatores; personatam illam severitatem exuant; aut si morosa ipsos indoles tantopere delectat, suis conclusi tenebris, & perenni damnati tedio liberales & honestos viros licitis frui oblectamentis patiantur.